



SERMO DE CAVSIS, ATQVE NATVRA PESTIS, ET CVRA

OCTAVII BRENZONI PHIL. ET MED.
VERONENSIS.



VERONÆ, Typis Tamianis. M DC X.
Superiorum permissu.



OCTAVIVS BRENZONVS VERONENSIS

A D

D. SIGISMVNDVM VERDELLVM AMICORVM OPTIMVM.

De eo, quod agendum in hoc ſermone, ac de locis, à quibus peſtis proueniat. Cap. I.



ALORVM omnium, & miſerabilium miſerrimum illud eſt, quo regionem vnam, vel plures occupante ſpecifica animalia quæque (ſiuè ſpecies vna, ſiue ſimul plures, aut etiam ſolus homo) paſſim, & vbique languent, quorum etiam pars maior occumbit; ſiuè id cauſa communis, ſiuè mutua hominum

consuetudo malum disseminauerit, hoc vna tantum, sed horribili voce Pestem appellant. Quamobrem, & propter eam partem, quę ad salutem hominum spectat; & quoniam difficiliora pręstat contemplari, atque eorum partem cognoscere, quam de euidentibus integram scientiam habuisse: Idcirco nomine non contenti; quod vulgus etiam non ignorat, quęrimus morbi naturam ex causis per signa cognoscendis, (quædam ex his futurę pestis præsagia vocantur) ex omnibus verò consequentia non nulla, quæ tamquam signa iam factę pestis haberi possunt. Inde breui methodo dicendum qua ratione possit homo tristem hanc labem declinare, aut etiam iam male affectis opem ferre. Tu verò, & patriæ, & amicis in eo Sanitatis, aut potius pietatis offitio, & in alijs omnibus offitiosissime Sigismunde si forte velis ab illis parum vacare, contemplare quęso (quoniam experimenta cales) in huiuscemodi morbi suspitione quanta crediderim vigilantia opus esse; aut quid asserendum in difficultatibus & mihi priuatim, & cum alijs medicis à viris perillustribus nobis aliàs propositis, & à quibus etiam cauendum sit. Itaque si in vna regione eodem morbo contingat homines corripi, rectè quidem à medicis illi communis causa censetur, quod si non singuli omnes capiantur, iure optimo dicta est communis, non dum verò communissi-

ma causa. Amplius si morbus læthalis existat, si non perpetuus, aut familiaris, sed in tempore contingat, (vnde epidemicum, non endemium dicunt) eiuscemodi quoque causa erit inuestiganda; hęc autem omnia aut ex simplici cognita causa, aut ex causa annexa subiecto manifesta fient. Communis ergo causa profectò non erit in ijs, quę semper apud vnum quemque varia sunt, & quorum tum qualitate, tum quantitate semper varius est vsus, dico autem de cibo, & potu, excretis, & retentis, de motu, & quiete, somno, & vigilia, atque animi perturbationibus; aëris autem fortasse alia est ratio. Plura vero non sunt, quę necessariò corpus nostrum immutant, afficiuntque. Videtur autem, quod est semper commune habitantibus posse hanc quoq; causam communem habere: Tria sunt ergo, in quibus degimus, elementa, nimirum aër, aqua, & terra (quartum enim aut nihil est, aut calor à cælo procedit, vt in naturalibus dictum est, neq; ad hoc quidquam facit) aër quidem ad eo nobis est communis, vt continuò nos ambiat, ex illo inspiremus: vnde & vitæ penetralia nostra facillime percurrit: si itaque aër habeat in se morbi causam, manifestum est æque omnes habitantes eodem posse affici morbo; sed quoniam semper mouetur aër, aut calore Solis, aut impellentibus ventis, quomodo malum qualibet vice inuadat non

conti-

continuò serpit per omnem terram? presertim cum huiuscemodi affectio obseruata sit etiam per plures menses perseuerare. An aquę stagnantes, & terræ loca particularia eos vapores per aërem mittunt, qui velut odores etiam tetri, vel mediocri mora, non difficile disperduntur, perseuerant tamen non mutatis locis illa terræ, vel aquę euaporatione perseuerante; sed neque ex aqua, vt simplex est elementum, rationabile est quidquam proficisci, quod homini sit tamquam venenum, cum in vsu sit familiarissimo, & homini, & cæteris animantibus; sed insuper omnis actio, atque virtus in his, quæ sublunaria sunt ex misto est, prima enim actio, quæ non incipit inter elementa fuit: Atqui eadem ratione facile est conijcere, neque terram ipsam solam in causa esse: ex eadem verò, vt simplex est, vapores ascendere impossibile omninò; si nanque humidum primum est aquæ elementum, primum siccum terra ipsa, necesse est ex vtrisq; omnem incipere mixtionẽ spiritu calido suffragante, (spiritum verò siue aërem, siue flatum dixeris nihil refert) quemadmodum alibi demonstratum est. hęc igitur pauca sufficiant pro foco pestis inuestigando, quem in loco determinato rationibus his iam constituimus.

De loco

De loco in quo generatur materia pestis, & qualis sit. Cap. II.

EX ijs etiam, quæ pestem præcedere solent, fidem accipere oportet, eiusmodi verò sunt, quæ subter, vel supra terram fiunt, aut etiam in superioribus aëris regionibus; vt aliquando crebri terremotus, aut animalia, quæ sub terra degunt, vt mures, & alia si desuper ascendant, ac si perhorrescant, ac fugiant viscera terræ; quamobrem manifestum fit infra terræ superficiem, aut altius eos pestilentes vapores ortum ducere, vapores verò, seu exhalationes dixeris, aut mixtum ex his nihil obstat; necesse est enim talem esse tenuem materiam ex sicco, & humido conceptam, quę per aërem queat diffundi; quod si & terremotus inibi fiant, certum est pro generatione calidos spiritus non deesse, vnde & quamplurimę plantę, & mineralia quæque ortum habent: Propter hæc igitur esto vaporosa materia in abditis terræ locis producta: cuiusmodi verò sit essẽtię ex alijs propositis signis inquirere oportet: Porrò cõsueuere prius insectilia multa super terrã multiplicare vt muscæ, ranę, & his cõsimilia; hęc autẽ ex disposita materia fieri necesse est, quæ spiritum viuentem, seu calidum innatum concipere possit: Quare si in animalibus humidum radicale,

duale, quod est oleosum, ut docuit Fernelius, fomes est, & pabulum calidi vitalis, necesse est hanc quoque materiam humidam esse, & oleosam: Id etiam testantur quæ in aëre fiunt; præsertim ignes diutius accensi, qui dicuntur cometæ, quorum materia si est exhalatio sicca quomodo cito non comburitur? immo si horum materia sit tamquam longus cumulus palearum, ut loquitur Arist., qui eo quod flamma sequatur materiam in cometis motum ostendit, quomodo materiam velocissimè non consumit? dicunt alij alio modo causam perdurationis; quia nimirum illa exhalatio sicca à calore trahitur, unde continuò materia confluit ad ignem accensum: Sed quomodocunque dicant, qui hoc modo dicunt, haud possunt in cometis motum ostendere: Primo vero modo irrationabile est per eam continuam, necnon velocem combustionem velle in cometis lentum motum demonstrare, qui per diem naturalem, aut etiam per plures aliquando nihil ferè moueri depræhensi sunt; dico autem de motu, qui non est motus uniuersi: Sed rectè Aristotel. si pro sicca materia dicat viscidam, & oleosam; talem enim solum sensim, ac sensim flamma consumit. Constat ergo tunc temporis aërem infici vaporibus illis, qui ex humida, & oleosa materia sunt.

De alijs

De alijs signis pestis materiam præsagientibus, sed reijcitur signum ab omnibus ventis vehementer perflantibus.

Cap. III.

INter signa pestem prçcedentia adnumerant etiam nubilum aerem, aut caligine mixtum, austrinas etiam constitutiones, anni denique tempora suam non seruantia naturam: Atque hæc omnia rectè quidem; sed non bene medicus ille, aut poeta, qui cum dicat, cum austri plurimi perflauerint, & diù incubuerint; putat etiam ventos vehementem impetum facientes posse pestem prænuntiare, quod tamen vanum est: Sed bene illud Hippocratis: annus austrinus pluuius à ventis in totum silens. ex quo vt ex alijs etiam locis intelligimus austrum ipsum leniter admodum spirasse. Etenim quorsumcunque vehementer perflauerint venti, ac diù perdurauerint, rationabile est inquinata elementa per illos expurgari, quantomagis à generatione pestilentis materię præseruari? An non in qualibet generatione calidi spiritus necessarij sunt? calorem verò nullum inducunt quicunque vehementer perflauerint venti; quod & optime norunt poetæ dicentes. Et cum fulminibus facientes frigora ventos. & alius. Et agentes frigora ventos. Leues autem, ac tepidas auras diu-

tius exhalare, non erit inutile signum pro ijs, quæ sub terra fiunt, (siquidem à terra sit omnis ventus) ac in ipsa tunc temporis nouam aliquam materiam adgenerari credendũ est, Quare tunc aerẽ nõ agitãtibus ventis, ex terra tales fieri possunt exhalationes, quæ nebulas, aut caligines inducant, ac Solem diù tristem reddant, quæ, & austrinæ dici possunt constitutiones.

Declaratur materia Pestis. Cap. IIII.

QVæret autem quispiam quare ex istis alia signa multo tempore malum præcedere consuevere, alia verò non multo prius, aut ferè eodem tempore mali contingant; vt cometæ, ac terremotus, postea insectorum multiplicatio, & alia quæ ad vicinum aerem spectant; An quoniam in qualibet generatione dispositiones præcedere oportet, & in elaboranda materia multa excrementa consimilis naturæ excerni, ac proijci necesse est, quod verò prodit elaboratum, vires in summo habet, quas in illis signis quasi obtusas videre fuit: Itaque mixtum illud, oleosum quidem erit, facilè miscibile, maximèq; euaporationi obnoxium in tenuissimas partes, aptissimasq; ad combustionem, ac fouendum, & augen-

dum

dum calorem: Porrò miscibile est quoniam adhæret, adheret autem imo penetrat, quoniam oleosum vaporosumque existit; non est vero existimandum illius esse materiam vt odores dissolubilem, quoniam aggregata corpus est, sed ex ea vapores quodammodo esse medios inter nebulas, & odores. Tales igitur ex imis terræ locis rationabile est exire, in quibus factus sit pernitiosissimus ille conceptus; sed neque si qua regio conceperit, statim oportet existimare vapores illos ex omnibus illius locis, & passim, quasi semina germinare, neq; continuò; quod & in aqueis humiditatibus calore solis ascendentibus cernere est, vt etiam euidentius in locis quibusdam sulphureis, quæ loca thermarum appellant; omne enim quod euaporat, & vias habere per quas transeat, atque prius talem materiam ab aliquo calore attenuari necesse est. Tale autem mixtum nihil prohibet quolibet anni tempore euaporare, maxime verò circa ver, & autumnum sed etiam in estate, atque hieme, nisi terræ superficies in porris suis summa glacie fuerit obstructa; intus verò concludi calorem aliquem, quo attenuetur materia, saltem illum qui pro generatione fuit, necesse est: Quamobrem manifestum fit, quomodo si morbus verno tempore inuadat haud desinat in æstate, aut si in autumno, neque in hieme etiam finiat; prius enim consumi, ac totam illam

euaporare materiam antequam finiat necesse est; nihil verò prohibet paulo post consimilem generari, atque ita facto aliquando mensium interuallo videtur de repente malum rescipiscere. Rursus ex dictis materia illa vespere maxime, & mane summo euaporare contingit, nocte etiam, sed minus circa meridiem, tunc enim solum terra aperitur, augeturque in ipsa calor, fumatque deinceps, atque ita per aerem diffundi rationabile est, & extenuari, vt facile etiã paulò diutius aura qualibet spirante tale penitus dissoluatur mixtum, & euanescat.

Ex nulla putredine fieri pestis materiam, ac in humanis corporibus aliquando consimilem generari.

Cap. V.

ITAQVE ex dictis materia pestis iam patet, quam alij aeris venenum, alij seminaria pestis, alij simili modo, & obscurè nimis eam nuncuparunt. Habet verò maiorem difficultatem, quod plerique autumant ex aere ipso corrupto, & putrefacto eam fieri pestis materiam; vel ex aliquo putrescente lacu; aut si denique magna inhumatorum corporum putrefactio contingat, siuè humana fuerint vt in prelijs, siue brutorum vt locustarum, & alia.

alia. Porrò primum præter ea, quæ dicta sunt, difficilè est credere simplex elemētum putresieri posse, quoniam vnumquodque horum ex alijs non constat, si quidem ipsa pro materia sunt, & cuicunque simplex est materia, quia singulis est simplex natura; atque ita humiditas est aqua, & siccitas est terra, per ea verò cætera quæque humida sunt, aut sicca; frigiditas autem in his sublunaribus censetur passio communis ex natura accidentium, cælitus autem venit calor: Non sunt ergo duo hæc elementa contraria sibi, neque enim se destruunt, sed amplexantur. Adhuc autem simplicior existimatur aer, nulliusq́ue propriæ videtur actiuitatis, sed caloris, ac frigoris susceptiuus, aut si quid illi est proprium forte mixtorum, & agentis caloris locus est: Quomodo ergo elementum in alterum transit, si vniri apta sunt, & rursus eadem à calore tantummodo separari? Porrò in rebus naturalibus transmutatio materiam ostendit, non ostendit autem corrumpi, aut transmutari elementa; rationes itaque pro materia prima non persuadent; sed de his secundum rationem in naturalibus disputatum est: Attamen ex his etiam videre est, neque corrumpi elementa, neque putrescere. Sed si putrescunt quæ ex humido, & sicco facta sunt, in quibus terminatum est humido siccum operantibus actiuis: Quomodo terra simplex,

plex, non humida, aut aqua non ſicca, aut aer non humidus, aut ſiccus vlla ratione putreſcant? Amplius ſi putrefactio eſt corruptio eius, quæ in vnoquoque humido propriæ, & ſecundum naturam, caliditatis ab aliena caliditate, hæc autem ſit, quæ ambientis; Quomodo terra, vel aqua, aut aer ipſe, quæ nullo modo ex propria natura calida ſunt, putreſcere poſſunt? Sed & minus terra ipſa; & adhuc minus aer, quoniam neque calidus, neq; humidus eſt, illi ſiquidem vt & reliquis frigiditas accidit, & calor, quod ſi humiditas definit aquam, nullo modo aeri videtur propria; quamobrem aerem putreſcere aſſerere vanum eſt; Propter has etiam rationes neque aquam putreſcere cogimur exiſtimare; Quod ſi in aquis ſtagnantibus putredines contingant, limus non aqua putreſcit, nempe quod mixtum eſt, ſed tales putrefactiones, & magis quæ ex inhumatis corporibus fiunt tetrum odorem ſpirant, ac nimis graues fœtores exhalant; Nunquid autem tales odores peſtilentia graſſante ſentiri conſueuerunt? Certum eſt enim peſtilentias non modo perſeueraſſe, ſed incepiſſe etiam ſine vlla aeris graueolentia; quod ſi forte fortuna contigit aliquando & inhumata corpora computruiſſe, & ſubinde peſtem ſubſecutam eſſe, non ideo talis putredo cauſa cenſenda eſt; quomodo enim tales putredines neceſſariò

peſtem

pestem non præcedunt? Aut potius quomodo tot succedentibus putrefactionibus magnæ pestilentiæ non consequuntur? quod tamen rarò admodum contigisse exploratum est, adeo vt manifestò simul vtrunq; fieri per accidens sit. Quod autem, & ab ijs, quę intrò assumuntur pestem fieri posse contendunt, non habet adhuc perspicuam veritatem, siquidem quolibet anni tempore, qualibet in regione, & semper complures sint qui adeo pauperem vitam degunt, vt quolibet ciborum genere (quamquam prauo, quamquam putrido) & vesci & illis impleri coacti sint; Ita vt mirandum sit, quomodo frequentissimæ pestes vbique non pullulent, multiplicent, ac populentur. Amplius istos eadem ratio conuincit, vt in fætidis exhalationibus dictum est; neque enim pestis prauorum ciborum vsum necessario consequitur, aut illi necessario pestem inducunt, quamobrem hæc ambo coincidere per accidens est. Videtur autem altera ex parte difficile etiam in corpore viuo talem fieri materiam, cuiusmodi est ea, quæ in pestilentijs iam dicta est; quoniam facilis est combustionis mixtionisque; itaque verisimile apparet, prius quam generetur, totam à calore consumi, nec ab alijs humoribus posse vnquam separatam subsistere: Verum quod dubium est dissoluere oportet; minimè autē dubiū per ea, quæ dicta sunt, ex humido, & sicco fieri prędictā

pestis

pestis materiam, quæ duo in humanis corporibus multifariam, & abundanter constituta sunt; sed neque superabundat calor siquando contingat illum à copia & qualitate materiæ suffocari, tum demum materiam in frigidiori corporis parte generari: Itaq; generatur quidem, & euaporat, mixta verò cum sit in alijs humoribus nihil obstat; Quamobrem manifestum fit in humanis etiam corporibus consimilem aliquando generari pestis materiam vt in abditis terræ locis ostensum est.

De causis generationis illius materiæ pestilentis. Cap. VI.

SED insuper ad ea, quæ dicta sunt necessarium est agens, quod quidem cum calore coniungi indubitatum est; hunc autem à cælo prodire quis negauerit? imo cum omnimode sufficiat quilibet alius inter elementa adscriptus iure merito superuacabit. Omninò verò difficile est ex humido, & sicco, nimirum ex elementari hac materia per simplicem calorem tale mixtum construi, quod persæpe æque multorum insectilium materia sit, ac proinde illorum animæ sedes, ac fundamentum: sin verò nihil habeat aliud celestis calor quam calefacere, accensi carbones eadem efficient in seminibus, & plantis, & animalibus:

bus: Consentiunt autem cęlestem calorē ab his plurimum differre, propter aliquid aliud ergo differt. Hoc autem quoniam cū calore animantia producit iure optimo causæ efficiētis nomen sortitū est, omne autem efficiens format, varię sunt formę, quoniā varię sunt ad inuicem principaliū Syderū positiones: Sed hęc omnia absque diligenti ipsorum Syderum inspectione explicare velle foret inanis labor, neque huc pertinent; propter hæc verò rationabile omninò est in hac materia, quando in his inferioribus sufficiens causa non reperitur, illam è superis lationibus petere, & eo magis, quoniam conuenientibus ijsdem astrorum concursionibus pestilentię sunt consecutæ. Quinimo docuit Fernellius ex illis quærendam esse causam etiam morborum qui singulis annis, & quolibet anni tempore contingunt, qui, & à Galeno populariter vagari dicuntur, hoc enim modo morbi ferè semper inuadere solent, & ex hoc docuit idem Gal. morbos cognoscere si populariter ea tempestate vagari soleant, Hoc enim mirabile est quando non omnes imo rarissimi eadem ratione victus vtantur. Sed neq; ex aeris hac aut illa constitutione particulares morbi ab vllo medico potuere vnquam prædici aut præcognosci. Non admirantur autem desuper benè, quærentes causas, ac multa volente Deo rationabiliter pręcognoscunt. Porrò in his methodus est rationalis

ecclipses animaduertere, quę frequens experimentum prębere possunt; Nam quę multi nugantur de coniunctione Martis cum Saturno, aut de magnis etiam coniunctionibus, illæ nugæ sunt, hæc verò vix vllum, aut nullum præstare possunt experimentum: Sed ab authoritatum locis recta iudicia procedunt; nam Sol, & Luna vt principes omnium stellarum imperium, & edictionem penès se habent; authores effectionum, & dominationis ius stellis committentes, ipsarumque stellarum aut vires augent, aut imminuunt: At quibus stellis potestas contigit commistionis earum consideratio demonstrat euentuum modos. Eorum quoque inanis est labor, qui ex verni equinoctij puncto conantur significata morborum elijcere; principium enim in circulo constituere videtur omnem fugere cogitationem. Amplius iusta quidem initia fundationum aut impossibile est habere, aut quale tempus pro initio accipi debeat, aut ab opere, aut à consilio, aut ab alio ingressu omninò incertum est. Naturale est autem earum fundationum significatrices ecclipses proximè pręcessisse, quas propterea in illis locis tamquam principia accipere oportet, quod & multo facilius est; iuxta verò talem radicem euenientes ecclipses conferre oportet; nam persæpe corripiuntur ij, quorum dictæ vniuersales radices loca pręcipua habuerint, nempe luminum,

aut

aut cardinum, aut alia significantia, cum illis, à quibus morbi eueniunt vniuersales; nam succedentes ecclipses loco directionum existimamus, siue Solis deliquia fuerint, siuè Lunæ defectus extiterint. Itaque & crebris experimentis obseruasse oportet per signa, & loca signorum particularia, quid vnaquæq; ecclipsis locis subiectis significauerit; obseruantes etiam stellarum naturam morbos efficientium & alia, vt quæ Saturnus, quæ Mars efficiant, aut stella, quæ vicem illorum gerat in locis defectiuis, presertim & alijs coniunctis; tempora quoque euentuum, & perdurationem iuxta dictam rationem noscere oportet, & si quę alia. Sed hîc prosequi particularia non est locus; etenim viro iusto ac phisice in his, quę diximus, coniectanti veritas non erit obscura: De causis ergo, ac signis pestem presagientibus satis hoc modo determinatum sit.

De modo quo fit contagium in peste. Cap. VII.

HIS *itaque concurrentibus causis mixtum pestilens produci sedulò satis expertum est; idque siuè in humanis corporibus, siuè extra fiat necesse est propter ea; quæ dicta sunt, ipsum euaporare, & ex hoc aerem ambientẽ infici; quo fit vt*

prima affectionum necessario consequi debeat, ea autē est ipsa contagio; qua enim ratione inficitur aer eadē, & humidū radicale in hominibus pati rationabile est, quo absumpto inibi statim finit vita animalis; facilè autem absumitur per calidi excessum; potissimum verò excedit calor iniuncta sibi combustibili materia; quod & in vino, & aqua ardenti intus etiam assumptis cernere est, & quæcunque eiusmodi sunt, quorum substantia etiam si in tenues dissoluatur vapores combustibilis est; Aqua enim ardens ressòluta in vapores potentiam talem ammisit, quoniam iusto tenuior tunc eius substantia existit, vnde ignis pabulum incongruum fit, Qualis ergo in substantia est aquę ardentis potentia ad ignem, talem ferè in vaporibus materiam pestis, existimamus: Neque ambigere oportet si talis permearet aqua vsque ad ipsum cor, eadem ferè futura simptomata, sed hæc non vt illa est oleosa. Cum itaque necesse sit ambientem aerem inspirare facile ille coinquinatus penetralia vitę percurrere potest; indeque vaporibus cum humoribus accensis coinquinatus aer emittitur, quem forte rursus propinquus, & tertius inspirat, atque ita malum serpit viresque acquirit eundo. Quinimo quam facile res vnaquęque ab aqueis vaporibus humectari potest, eo etiam facilius ab humidis, & oleosis hisce vaporibus infici

ac

ac coinquinari posse credendum est, quando omne quod siccum est apparet olei susceptiuum maximè in vaporibus distributi, non item aqua sicco cuilibet adhæret; Miscetur autem quandoque quod oleosum est ipsimet aquæ si siccum corpus commixtũ vtrunque conciliet. Quamobrem nihil hactenus nouimus quod huiusce læthalis materiæ non sit susceptiuum, suscipit & aqua, & quodcunque tale est, sed non aliter, ac in aere disperditur ac dissipatur: secus autem fit si corporum superficiebus adhęreat, quas etiam multo tempore post illam retinuisse exploratum est; inde verò si res illas attrectari contingat aut ab alio calore talem materiam euaporare, ex eo subiecto alij etiam facile adhęret, aut per aerem diffusa ab inspirante facile attrahitur, qui deinde per repetitas expirationes similiter externa inficere potest. Inficiuntur ergo & animata & inanimata corpora quæcunque; quare & de ligno quocunque dubitare prorsus ridiculum est. Atque in hoc malo sic se habet ipsa contagio, quæ ex his apparet esse eiusdem infectionis vnius cum alio communicatio nullo verò modo erit infectio transiens, quoniam non tota transit sed communicat. Habet autem dubitationem, quomodo læthalis hæc materia solum per anhelitum attracta adeo possit in alios propagari, vt infinitos propemodum appræhendat, neque enim hoc fit inanimatis,

matis, neque in his, quæ extrinsecus coinquinata sunt, nam per attritionem aut quouis modo illius affixę materiæ commotionem sensim, ac sensim atteritur illa ac dissipatur, neque diutius multa circunagentia corpora subsequenter inficiuntur sed in paucis desinit læthalis actio. Amplius dubitare contingit, an per anhelitum solum huiuscemodi malo homo affici possit, neque quicquam manibus attrectata materia, aut alicui aliarũ corporis partium eadem affixa possit obesse, & hominem morbo afficere. In primis autem illud fieri manifestum est; vapores enim ingressi pulmones humoribus miscentur, qui simul accipiunt pestilentem naturam, ac pestilentes fiunt non ex putredine, sed ex mutatione naturę, facilis enim est hic transitus, quoniam facile cum humido vitali miscentur, & simul accenduntur; non ergo putrescit humidum, aut humores dum accenduntur; neque ab accensione sequitur putredo, sed mutari naturam, neque alienum est à Natura, quando & in ijs, quæ sunt actu frigida quodammodo hoc fieri videamus; mutatur enim vinum in acetum pauca aceti quantitate admixta: Atque ita hoc propagari, ac multiplicari potest: In hoc igitur nihil prohibet hos pestilentes vapores ex similitudine seminaria pestis nuncupare, quoniam videntur in humanis corporibus quasi semina producere, & multipli-

care;

care; sed in ijs, quæ inanimata, & quę extrinsecus coinquinata sunt nullus seminis apparet vsus, quoniam illis affixa materia sensim dilabitur, atque consumitur. Ex veneni verò natura nihil habet, nisi quis hoc dixerit ex eo quod læthalis sit, atque interdum subitò interimat; sed hoc modo & violenter proiecta, & ferra incidentia, ac perforantia, & alia eiusmodi venena forent, per quæ animal statim concidit, ac extinguitur; quinimo & in hoc materia pestis longè abest à veneno, quod eius læthalis actio per eum modum contagij in alios extendatur, hoc autem non datur venenis. Illud verò mirabile est si aliunde, quam per anhelitum possit hæc lues in cor ipsum contrahi, quomodo tot artifices, & corpora, & res infectas sæpe sæpius pertractantes, abscessus incidentes, atq; curantes rari admodum afficiantur, ex hisque nullus, qui se vapores non inspirasse certò sciat: Sed quoniam quandoque Natura læthalem materiam quæ iam intus est potuit ad extimas corporis partes protrudere, excitare parotides, bubones, & abscessus; rationabile quoque est magis fore, vt eadem Natura resistat quominus vlla materia vllusuè vapor per easdem vias in cor ipsum repat, per quas scilicet extrudere potens est: itaq; extrinsecus affixa materia difficile nimis accendi potest, quod si hoc fieret, an ob id humidum radicale, nempe se-

des

des influentis caloris, quæ in corde est, in quo præcipuè vita seruatur, poterit absumi? Sed ex his patet in omnibus & hominibus, & inanimatis ipsa contagio, & quamobrem ex inspiratione tantum lędatur homo per hæc quoque manifestum fit.

De triplici genere febrium, quæ pestem concomitantur. Cap. VIII.

ACCENSIS *itaque in corde vaporibus ijs, & humido radicali, & massæ sanguinis commixtis; inibi excitato calore febrem quoque consequi necesse est; porrò si humidum radicale in exustione illa (quamquam breuissimo temporis spatio) consumitur, hæctica fit: impossibile autem est tale humidum ea ratione absumi, quin & omnes humores, & in corde contenti, & in vasis prope cor accendantur, & ex accensione febres fiant, quæ putridæ nuncupantur: etenim difficile esset nimis per humorum putredinem intelligere aliam corruptionem humorum quam in illis accensionem; neque enim pus, aut illum fætorem in vasis fas est animo concipere qualem in gangrænis videre est; & quomodo esse potest alia vera humorum putredo? si verò est alia iam accensionem, non putredinem dicere opor-*

oportet: hæc prius sententia fuit excellentissimi Medici, & Philosophi, nunc etiam Illustris, & admodum Reuerendi Canonici Leonardi Tedeschi Nobilis Patritij, in mathematicis etiam, & in omnibus pro veritate ingeniosissimi. Amplius, si febris est caloris in corde multiplicatio, vel auctio insignis; hoc autem ex obstructionibus fiat, necesse est etiam has fieri in osculis arteriarum; sic enim calor continuò influens à corde, (quoniam minime transpirat) adeo adaugetur, ac multiplicatur, vt humores in arterijs accendat, maximè in locis obstructis, atque etiam ipse adauctus calor ad cor vsque pertingat necesse sit. Dubitabit autem vtique aliquis, quoniam si in arterijs fuerint obstructiones, maximas quoque in pulsando inæqualitates habere: An quia pulsifica virtus non arterijs, sed cordi inest, nulla sequitur inæqualitas pulsuum, etiam arterijs obstructis; quod ex eo etiam patet, quia qualibet arteria inæqualiter pulsante, reliquę omnes eodē pulsant modo, quia vnum est omnium principium: & qui fistulā imaginatus est in arteria, & cum ea alligatam, hanc pulsandi virtutem à corde prodire dixit, & per arteriarum tunicas, aut corpora diffundi, non autem per cauitates earum: non ergo cauitatibus obstructis vlla inęqualitas pulsuum consequitur; quod si adeo obstructæ reperiantur & in tunicis etiam adeo humo-

ribus refertæ, vt pulsifica virtus intercipiatur; quominus possit vltra transmitti, vt euenit & neruis; tunc nullo modo pulsare, aut obscurè nimis necesse est, non autem motu inæquali; sed tales non modo sunt obstructiones, sed tunicarum, aut corporum nimię repletiones. Constat ergo & febrem fieri ex humorum accensione, imo ex vitali multiplicato calore, & humores agitante; & arterias in febribus affectas esse, non autem venas; quemadmodum affecto iecore, venas pati rationabile est; quinimo & cerebro affecto per consensum, noxam per neruos prouenire manifestum est: Sic itaque instrumenta partium principij proprij affectiones ostendunt, veluti primario affecto principio, & instrumenta pati necesse est. Sed plura de his alibi. Nunc autem febres fieri non ex putredine, sed ex ea ratione multiplicato calore demonstrasse sufficiat. Itaque manifestum est quomodo peste affecti pręcipue hectica illa breui corripiantur, consequi vero humorales febres, hasque etiam sensui magis constare: Ephemera autem pestilens ea ratione fit, qua & humorales febres dictum est, sed quod vnica die transeant, hoc facit materia pestis, non autem soli spiritus accensi; neque enim spiritus congrua sedes caloris existunt, vnde calor multiplicetur, nisi ex illa prohibita transpiratione, quæ tamen in ephemera leuis est, aut ex

humido

humido illo pestilenti, & radicali commixto consurgat calor. Constat ergo qua ratione ephemera pestilens contingat, neutiquam verò ab humorali febre separari; imo etiam hanc, quam putridam vocant in omni pestilentia primo manifestam esse.

De signis febrium pestilentum, in quibus declaratur etiam vsus respirationis. Cap. VIIII.

D*IGNOSCITVR autem febris præsertim ex pulsu, frequenti respiratione, & ex totius corporis læsis actionibus: id autem omne modo non ab extrinseca causa fiat: si enim febris affectus in corde est, quem alij ab extraneo calore intemperiem calidam appellant; nos auctum calorem dicimus, illumque naturalem, auctum verò propter probibitam transpirationem, aut humidum radicale nimis accensum, necesse est talem affectum ex arterijs, quæ cordis instrumenta sunt, innotescere: Ex respiratione etiam; vnde calor nimius exhalat; denique ex actionibus lęsis, quæ præcipue sensum, & motum spectant; quæque maximè (vt bene valeant) temperato calore opus habent, & symetriæ corporis proportionato; omnis autem caloris excessus, sicut & defectus actiones illas maxime lædit.*

dit. Plura verò colligere in ostensione febris superuacaneum est; quinimo, & pulsus tantummodo indicium febris in genere sufficiens est; alia verò multa febris morem, & qualitatem ostendunt. Peculiariter autem in febribus pestilentibus pulsus est frequens, paruus, ac debilis; maximo enim in corde existente calore pulsus ex necessitate frequens consequitur; consueuit tamen alias primo apparere magnus, deinde frequens: nunc verò, & quotiescunque materia in corde redundat parui semper obseruantur; in hoc igitur & parui, ac debiles sunt; turbatur enim, & consumitur humidum radicale, sedes caloris, hoc est virium fundamentum, quare & virtutem pulsificam pati, atque labescere, necesse est: At verò pulsus paruos, aut humiles existimare, quod Natura non audeat venas attolere ne aditum veneno aperiat, prorsus poetica res est; quasi pulsifica virtus præcognoscat quid agendum, priusquam noxam persenserit; quod si non per alias arterias pulsantes mixtum pestilens cor ipsum ingreditur, sed per vasa pulmonum receptum prius in asperam arteriam, deindè maxime per arteriem venalem in cor feratur, quid opus est Naturæ cæteras arterias occludere? satius enim fortasse erat inspirationem cohibere: quoniam verò cor ipsum laborat, & ex consequenti eius instrumenta hoc demonstrant, necesse

est pestilentem materiam ipsum iam occupasse : ex hoc ergo frustra laborat Natura, ne aditum veneno aperiat, cum iam sit ingressum; quo tempore neque etiam rari pulsus, nisi in morti proximis obseruantur; calor enim nihil habet amplius humidi radicalis, quare & pulsandi deest illa necessitas. Coguntur amplius tales ægri frequenter admodum respirare; hoc enim modo fit, vt nimius calor adauctus è corde exeat, semper enim & hoc solum primo efficit respiratio; nam dilatati pulmones si per tracheam aerem inspirant eo magis necesse est & eum spiritum attrahere, qui ab arteria venali motu cordis emittitur: ab vtraque igitur arteria replentur pulmones, ab aspera quidem aere, ab ea verò, quæ dicitur venalis calido spiritu, seu mauis calore insimul coniunctis, qui vnà scilicet in expiratione semper exeunt. Manifestum quidem est ab aere inspirato pulmones refrigerari, quoniam propter exeuntem à corde calorem nimium sanè incaluissent, sed eundem aerem posse etiam cor refrigerare, prorsus irrationabile est; statim enim ac est ingressus, propria natura ipsum calefieri necesse est, quoniam extremi frigoris statim verò post, extremi caloris facile susceptiuus est; Quare neque per omnes pulmones frigidum permeare, & multominus vasa cordis ingredi probabile est.

est. Perbelle verò satis potuit usus respirationis ex ardenti fornace peculiariter obseruari; in qua ignis accensus si nullum habeat exitum, nullamque viam per quam exeat, facile obrutus extinguitur: semper autem, dum ardet ignis ipsum efflare, nihil verò aeris intus recipi ipsa per caminum efflatio continua satis ostendit: magis autem valet exitus ignis, quam aeris ingressus, imo si ex vi ventorum aliquid aeris intrudatur, tantum etiam suffocat, quantum suo ingressu ignis exitum impedit: ignis enim, & aer duo corpora sunt; mixta verò hęc, etiam ex se facile separantur, imo ignis semper aerem scindit, aut repellit, eijcitq; hoc autem in cucurbitulis manifestum apparet, in quibus dum calor concluditur, qui & ipse ignis est, nullus aer, aut exiguus reperitur; interim verò dum cuti apponitur cucurbitula exit ignis, quoniam substantia subtilissima, inde aer conatur ingredi, aut corpus aliud, quorum neutrum ex consequenti inibi prius erat: ignis autem rarefactus corpora etiam pertransit, non item eius substantia aggregata, quæ flama est accensa, hæc verò nihil aliud est, quam ignis, qui à subiecto mixto continuò exit: quare si nullum habeat exitum, neque illum diutius fluere posse necesse est, sed flama ab igne circunfluente supprimitur; non igitur ardet sine patenti exitu in fornace,

quo-

quoniam inibi plura corpora vltra fornacis capacitatem multiplicari non possunt: sed de his alijs in locis. Hoc igitur modo ab exemplo fornacis vsum respirationis didicisse sufficiat: Sic enim cor semper calorem expirat, aerem verò minime inspirat, sed tantum pulmones quo refrigerentur. Si verò alij amplius addant, & flãmam, dum ardet, inspiratione, hoc est aere frigido opus habere, atque ideo inspirare fornacem, & aerem frigidum ingredi; in cucurbitulis autem extingui flãmam, quoniam frigidum inspirare non potest; tunc sanè substantia ignis, atque natura penitus ignota foret: Etenim ex hoc quoq; manifestum fit aerem externum, & frigidũ non inspirare fornacẽ, quę dum ardet, vndequaq; sit conclusa, caminum autem prælongum habeat, per quem possit efflare; tunc enim si ingreditur aer, iam calefactum ingredi, uia longa, & calefacta, necesse est, nihil ergo intus refrigerabit. Hoc etiam modo demonstrabit quispiam ardentem ignẽ nulla egere, dum ardet, refrigeratione, si in medio fornacis extincta flãma illhic adhuc summo calore versante licnum ardentem libeat exponere, ad quem sanè nulla refrigeratio pertinget, quod speculantibus manifestum fit. Hæc porrò necesse fuit non ignorasse quominus loca affecta in pestilentibus febribus obscura sint, nec pestilentis materia progressus ignotus existat. Constat ergo quæ

sit

ſit etiam in omnibus inſpirandi, & expirandi neceſſitas, quæ minus recte dicitur vtilitas reſpirationis.

De læſis actionibus, & vrinis. Cap. X.

IAM verò de læſis actionibus ſequitur agendum; porrò de ijs, quæ vitales nuncupantur, in pulſibus, & reſpiratione dictum eſt; naturales autem actiones læſę haud præcipue ex vrinis dignoſcuntur, ſed eodem modo, quo animales lædi comprehendi ſolet; itaque ſicut in corde caloris exceſſus vitales actiones conturbat, ſic illius caloris, qui pręcipue per carotidas arterias cerebri cauitatibus communicatur, eiuſmodi exceſſum rationabile eſt animales etiam conturbare; hoc autem manifeſtum eſt in ſeminibus, & plantis, quæ vt ex momoderato Solis calore germinant, ac producunt; ita in exceſſu, aut eiuſdem caloris defectu, areſcunt, aut & ipſa deficiunt: ſubſtinet autem eamdem vicem Solis calor in ijs, quam in hominibus calor influens à corde, atque ſeruat eamdem rationem: Quamobrem calor excedens cerebro communicatus motum impedit, triſtemque ſenſationem infert, quod ſi cum aliquali ſanguinis copia cerebrum occupet, delirium

lirium etiam contingit, quo tempore actionum animalium imbecillitatem minus comprehendere licet, læsæ tamen existunt; maximè verò prostratæ apparent si pestilens vapor cerebri innato calori communicetur: atque hoc tertium signum est in febribus pestilentibus à pulsu, & enarrata respiratione. Neque dubium quis existimauerit, quod superius viuentis calorem ab humido radicali distinctum dixerim, ac materiam pestis humido radicali, non autem calido naturali commisceri, atque communicari, quoniam nunc calidum innatum vtrumque comprehendit; est enim hoc substantia ignis humani corporis partibus commixta per quodam naturale medium à calido ex subiecta materia sibi elaboratum, quod humidum radicale censeri oportet; hæc autem ignis substantia quamdiù in animalis corde exhalat, atque euaporat viuere dicitur. Sæpe verò contingit presertim in febribus euaporationem hanc ab illo aucto calore omnimode impediri, quoniam via exhalationibus data angusta est propter obstructiones, neque sufficit; quamobrem desinit exitus calidi innati, & simul vita animalis; veluti in conclusa fornace per exemplum iam dictum est; necesse est enim euaporationem illam, vel ab aucto in corde calore impediri, vel certè à præsentia, & copia humorum manifeste magis suffocari, vtraque tamen suffocatio

existit; atque hisce rationibus fit in febribus alijs non pestilentibus vt animal pereat: Neque fieri vlla ratione potest, vt humores illi in corde, aut in alijs corporis partibus accendantur absque præcedenti prohibita illa transpiratione; siquidem sanguis qui in vniuerso corpore est, quique omnes habet humores nullum ex se prçter naturam inducit in partibus calorem; materiam autem pestilentem in humanis corporibus absque vlla prohibita transpiratione, propter ea quæ dicta sunt, rationabile est accendi: tantum ergo differt febris pestilens à non pestilenti, & à mali moris quacunque alia, non autem secundum magis, & minus. In hac igitur febre maxime eiusmodi vitalis exhalatio euanescit, si pestilens vapor in corde accensus mixtionem illam ex igne, & humano temperamento conflatam dissoluat, ac dissipet, ne dum exhalationem illam naturalem impediat. Superius verò ea ratione non tamen huic contraria progressi sumus, quominus prima facie dicenda veritas difficilis esset, aut obscura, nunc ergo res ita se habet; neque de his hic plura dicenda sunt, sed necessaria tantummodo prosequi oportet. Itaque sicut in facultate animali sensus, & motus spectandi sunt, in naturali verò, quæ est nutritiua, sensus apetitus, & excrementa, sic in vitali facultate, pulsus, & inspiratio, & calor partibus communicatus spectari debet.

bet. Quoniam verò inter excrementa febris naturam concernentia vrinam potissimum consideramus; ideo multis alijs ommissis contemplabimur ipsam, quæ pręcipue in pestilentibus non mediocrem habet difficultatem, & talem etiam, quę peritis non mediocrem pariat admirationem. Porrò quãuis vrina primò iecoris excrementum existat, à renibus tamen vltimò perfecta excernitur, è quibus ex consequenti colorem habet, splendorem, & concoctionis notam; materiam quidem ex iecore habet, quare & crassitiem, aut tenuitatem, copiam, vel inopiam, cætera verò ipsorum sunt renum, aut partium in ipsis renibus communicantium; hę verò pręcipuè sunt arteriæ duę, quæ venas emulgentes concomitantur ipsisque renibus inseruntur; quæ scilicet calorem influentem, & necessarium impertiant, sed per quas etiam, quando sic ferat occasio, cordis excrementa par est excerni; excernit autem materiam in se redundantem quam in ipso ebulire necesse est, si quando febri mali moris, quam & malignam appellant, conflictetur; in hoc verò excremento nihil vtile est renibus ipsis, quare & immediate excerni, ac pertransire rationabile est; inde vrina crudo illi, & alterius naturæ excremento commixta turbida apparet, ac permanet, quam subiugalem dicunt; sin verò nihil excernat cor, renesque beneualeant ipsam laudabilem excerni

necesse est; nunc ergo quoniã in pestilentibus nulla est obstructio, nulla per consequens redundantiũ humorũ ebulitio, quę febrem faciat, sed sola materia pestilens accensa, virtute magna, & mole parua, vnde naturales, & benigni consumuntur humores, nulla propterea humorum copia in corde redundat; quare neque quicquam excerni posse, quod turbet vrinas, manifestum est; si ergo & renes tunc bene valeant, laudabiles vrinas excerni rationabile est: At verò turbatas quæ neque deponant, in illis febribus quas mali moris diximus, si modo tales sint febres, expectare oportet; si vero tales sint, sed vrinę quasi claræ reddantur, obstructas iam esse et arterias illas, quas etiam emulgentes appellant, credendum est, ac perinde vitalis caloris suffocationem proximã fore: Scimus ergo quare in febribus, pestilentibus, quatenus tales sunt, turbidæ non excernantur vrinæ, turbidas autem in alijs, in quibus materia in corde redundat, debere excerni manifestum est: hac ergo etiam ratione differt febris pestilens ab ea, quæ dicitur mali moris, pręcipue verò ipso contagio, non autem secundum magis, & minus. Illud verò mehercle nimis leue est, asserere partes crassiores in vrina à natura expelli non posse, ac proinde quodammodo percolari vrinam, & vbi crassa admodum fuerit, incipiat iam crassa minus descendere, deinde &

minus

minus adhuc crassa, donèc videatur sanis assimilari; Commenta enim sunt; quoniam vrinæ crassities ab epate descendit, neque maligna est; turbatę verò fiunt propter admixtam materiam, quæ à corde descendit, ac expellitur, vt visum est. Constat etiam ex his illud potius mirandum esse si in verè pestilenti turbidę ac subiugales excernantur vrinæ; quod tamen non inconuenit quandoque fieri posse, nimirum si cum dicta pestilenti causa quoque malignæ febris ex obstructionibus, & confluxione materiæ ad ipsum cor adnecti contigerit; tunc enim subiugales vrinę ex parte huius febris non autem verè pestilentis existunt: Atq; hæc de febri pestilenti dicta sufficiant.

De ijs, quæ peste affectos consequuntur. Cap. XI.

CONSEQVVNTVR etiam non rarò peste affectos bubones, parotides, genusq; glandulosum tubercula maxime inuadunt; in ijs etiam carbunculi, peticulę, & latæ maculæ conspiciuntur. Videtur ergo ex his materiæ ad extra protusæ, vel abscedentis motus; rationabile autem est ex loco affecto hoc conijcere; habet enim cor, & instrumenta exportandæ materię idonea, & proportionatum agens, vt hoc efficiat; quinimo si in hoc

malo

malo nullæ adſint obſtructiones, quemadmodum dictum eſt, huiuſcemodi materię motus ferè ſemper apparet, calor enim ſemper exitum quęrit, & obuias materias fundit, atque extra pellit, quod in ſudoribus etiam manifeſtum fit; iniunctæ autem obſtructiones perſæpe his motibus obſiſtunt. Quoniam verò in peſtilentia calor ille febrilis non propter obſtructiones adauctus eſt, ſed ex accenſa peſtilenti materia cordis temperiem diſſoluit, neceſſe eſt, neque multum caloris extra poſſe diffundi; quoniam hæc præcipuè in conſumptionem caloris via eſt, non autem ex aucto calore ſuffocatio pręcipuè pertimeſcenda: Facile autem per non obſtructas arterias materia pellitur, ac permeat, donec oſcula arteriarum exeat, & ſæpe in glandulas, quæ ſunt excrementorum commune recipiens, peruenerit; inibique tumorem excitat, eo quod vlterior exitus per cutem difficilior exiſtat; quod ſi in cute peticulæ, aut latæ maculæ appareant, tunc materia ſubtilior, & calor maior eſt, ac magis natura viget: Varius verò in peticulis color, & in dictis tumoribus varia ſigna materię naturam commoſtrantia, huius rei cauſam expoſtulant: Itaque notum eſt in corde, & in magnis arterijs propè cor, propter accenſam peſtilentem materiam, naturalium humorum fieri ebulitionem & eò etiam maiorem, quò maior ſanguinis copia i

illo

illo patiente redundauerit, talem ergo ſanguinem in arterijs reperiri neceſſe eſt, conſtat autem in illis vaſis tenuem tantum ſanguinem inueniri, quem alij floridum, & bilioſum non ineptè appellant; ſanguis tamen eſt, ac proinde partem craſſam, & ſerum ipſum, ſiuè icorem dixeris in ſe habet; plus verò ſeri à ſuperabundante calore, quam à moderato fieri manifeſtum eſt: ſi itaque ſimplex illud ſanguinis excrementum extrudatur; quoniam ſubtile eſt; & à valido adhuc, & naturali calore exprimitur, ideo ad cutem vſque quandoque peruenit, & exit, vnde fit ſudor: ſi verò & aliquid ſanguinis admixtum habeat, languet naturalis calor neque ſeparat; vtriusque tamen caloris vi, & naturalis, & morboſi protruditur humor, qui ſi tamen ſubtilis exiſtat ad cutem quidem peruenit, quoniam per arterias venit, ſed illic hæret, & maculas excitat, rubeas quidem, ſi non adeo combuſtus eſt ſanguis, at verò nigras, ſi maior extiterit interna ebullitio: Talis autem ſanguis ex nimio calore, & admixta peſtilenti materia, ſiue acris, ſiue combuſtus, atque etiam peſtilens factus, facile quidem per cauas arterias à Natura expellitur, atque caloris vi per illa vaſa diffunditur, prope quorum oſcula glandulas non paucas præcipuè certis in locis apparauit Natura, quæ omnimodum humorem debeant excipere;

hæ

hæ ſunt ſub axillis, in inguinibus, & poſt aures. In his ergo, & perſæpe alijs in locis materia ab arterijs eiecta varios tumores, iuxta ſui ipſius varietatem, conſueuit excitare; albus enim, vel pallidus in tumoribus color ſerum ſimplex oſtendit, ſi verò & ruborem quempiam præſeferat, & ſanguinem fluxiſſe opinandum eſt, qui ſi fuerit ſupra modum combuſtus nigredinem profert, atque carbunculos producit: Alij verò ex locorum varietate varia nomina indidere; poſt aures enim parotides appellant, in inguinibus bubones, quibuſcunque autem alijs in locis tumores fiant, abſceſſus fieri proprio marte dijudicarunt, verborum potius diſtinctionem obſeruantes, quam ex rei natura nomina mutuantes; nobis verò manifeſtum ſit facile admodum quamcunque materiam in has partes ab ipſo corde abſcedere poſſe, ſi quidem per non obſtructas arterias illis via, & exitus ſit; non enim peſtilens febris ex obſtructionibus eſt; quas ſanè, quoniam in illis febribus, quas mali moris diximus, neceſſe eſt adeſſe, difficile admodum eiuſmodi humorum exitus fieri poteſt, quamuis neque hoc impoſſibile; quoniam non ſemper omnes arteriæ ſunt obſtructæ, aliquando enim, quæ in ſuperiori trunco ipſius aortæ enaſcuntur, quandoque verò quæ ab inferiori prodeunt, obſtructione laborant, non raro etiam ſimul

omnes;

omnes; tunc ergò certas in partes humores proijci rationabile est; si verò vndique magna arteria fuerit obstructa, omninò ferè impossibile est, nisi prius pars aliqua per euacuationem ab obstructionibus liberari contingat; quo facto neque etiam necessarius erit exitus humorum; quandoq́ue enim calor omnis ex copia humorum suffocari contingit. His itaque rationibus, & signis pestem, & peste affectos demonstrasse sufficiat, siquidem multa alia, siue signa, siue causæ orationem potius, quam veritatem efficiunt.

Colligitur Definitio pestis, & ratio diuersorum effectuum; ac de Prognostico. Cap. XII.

HACTENVS *ergo de causis, atque præcipuis signis consequentibus pestem, & illius naturam commodè nobis commonstrantibus dictum est: deinceps autem & de aliquali varietate effectuum dicendum est; quę aut ex alterata causa, aut ratione subiecti agnoscere oportet; atque ex his medicum vera magis prognosticari contingit; & quę nam pars in medicina medico magis faueat ipso prognostico? Vti ergo quamplurimi tempore contagij hac labe inficiuntur, ita mirum est multos alios cum infectis versari; neque tamen ex hoc quicquam pati;*

an istos pestilentes illos vapores haud inspirare contingit? Aut si contingat, tenues admodum inspirant; quoniam diutius per aerem diffusi semper magis, ac magis attenuantur, & materiæ deleteria vis euanescit; vis enim pauca, quia in pauca materia nihil agit, neque sentitur: Odores verò satis agunt si nares feriant, quamuis & hi per eadem loca impulsi & vti transeuntes haud omnes in ijsdem locis simul collectos semper afficiunt, quia non omnes inibi existentes talem odorem contingit naribus haurire; sed neque materia pestilens vt odorum materia attenuata quemquam morbo afficeret, aut quicquam ageret, quemadmodum iam dictum est. Quoniam verò in hominibus pestis est accensio pestilentis materiæ in ipso cordis sinistro ventriculo, per quam fit calidi innati euaporatio; hæc autem materia in pulmones attracta ab ipsis deinde per arteriam venalem defluit in ipsum cor; necesse est aliquando paucos vapores, aliquando plures descendere, ac penetrare; vnde pauca existente materia, quoniam citò consumitur, neque partes adeo inquinantur, Natura vincit ac omne noxium expellit; quoniam igitur in hoc casu integre expellit, tunc procul dubio abscessus in externis partibus indicia futuræ sanitatis existunt: Vt plurimũ verò materia coinquinat partes, neque multa vincitur, aut consumitur, quare & apparentibus

ab-

abscessibus Natura tamen succumbit: eadem de maculis, ac peticulis dicenda sunt; in his tamen si materia crassior existat, hanc omnem per cutem expurgari difficillimum est; contra verò si pauca, atque tenuis extiterit. Ex hoc autem manifestum fit neq; multis scatentes humoribus, neque diuites, qui plus habent sanguinis & humidiores sunt, facilius corripi pestilentia, quoniam æque omnibus non impedita fit respiratio, vnde malum prorsus originem habet; verum hos quidem difficilius curari propter omnimodæ materiæ difficilem expulsionem ex predictis constare debet. Quandoque etiam contingit in pulmonibus multam coaceruari pestilentem materiam, inibique per dies integros detineri, seu propter, in quo residet, situm, seu quod oscula in arteriam venalem non ęque in omnibus patentia sint, quę tamen paulo diutius detenta materia aut propter motum, aut copiam ipsius quandoque tota influit atque in patiente repentinum exitum inducit, eo quod ex multa materia magnus calor exeat, qui naturalem calorem facile suffocat, quemadmodum dictum est. Dubitabit autem vtique aliquis si ex arterijs, & ab ipso corde serum sanguinis exusti in glandulas, & ad cutem vsque impulsum perueniat, quomodo etiam per emulgentes arterias, atque etiam facilius eadem materia non detrudatur, ac per vri-

nam non excerni contingat? An quia rectè dictum est in simplicer pestilentibus nullas inesse obstructiones, ac per consequens purum sanguinem in arterijs contineri, qui etiam à nimio calore exustus tale exprimit serum, quale nunquam ferè turbabit vrinas, etiam si defluat cum vrina, atque commisceatur; ex sanguine autē crasso, & copioso in arterijs ab obstructionibus contento, qui copia, & crassitie calorem ipsum opprimit, non nisi crassas serositates euenturas manifestum est, quæ & maxime conturbent vrinas, vt in febribus malignis euenire iam dictum est. Per hęc etiam manifestum fit ex illa in febribus mali moris ebullitione, quam perperam excellentem putredinem dicunt, non augeri febrilem calorem, sed omnimodum ferè extingui, aut suffocari; sic namque in multa, & humida, atque conclusa materia fieri necesse est: quamobrem tunc solis refrigerantibus, & exsiccantibus mederi (multo autem peius humectantibus ipsis vt nenufare) febrilem pariter calorem, atque ęgrum extinguere in idem coincidunt: Vtendum ergo cum frigidis, & exsiccantibus, aperientibus, ac diureticis, quinimo & alimentis, ac medicamentis intrinsecus, ac extrinsecus naturalem fouere calorem, non nisi valde opportunum est. nunc autem pestilentes dijudicemus: ad hæc igitur cognoscere oportet non semper consi-

milem

milem pestilentem materiam à prædictis causis produci; aut enim terra subiecta promptior est, aut infirmior; partilesuè, aut platicæ magis syderum concursiones eueniunt; vnde mixtum illud pestilens maiorem, minoremuè, aut mediocrem vim sortitum est; ex magna autem vi pestilentis materiæ qualibet ætas difficile admodum resistit; in remisso autem gradu florens ætas, atque robusta satis obstat, & quoquomodo adolescentum, & persæpe etiam puerorum; minus autem resistunt mulieres vtero gerentes, aut senes; Horum autem status, atque ætas puerorum, & adolescentium illi mediocrem vim habenti pestilentiæ succumbit; obstat autem, & huic fortior ętas, & si quid aliud, quod in natalibus est. Ut plurimum etiam triplici virium genere constante morbi quocunque tempore supradicti exitus materierum sanitatem portendunt: quinimo & duplici tantum virium genere valido existente bonum ominari rationabile est: Neque vero dicitur desperata salus dum tres iam dictæ virtutes in morbo ipso mediocriter tantum se se habuerint, multo minus si duæ solum tales extiterint, reliqua verò commode valeat: illæ autem sunt Vitalis prima, Nutritiua deindè, & Animalis: Vitalis ergo per pulsum maximè, & respirationem innotescit; Nutritiua vero sensum habet apetitus, & excrementa;

vt Animalis per sensus externos, & imaginationẽ, nec non locales motus manifesta fit: Priores tamen virtutes indesinenter agunt, quia vitam in esse conseruant; Hæc verò Animalis quiete indiget ab actionibus, vt moueat, dominetur, ac imperet: itaque in virtute Animali quies, & actio spectari debent: Secundum ergo rationes has prognosticari oportet; quibus tamen omnibus maximè ea fauere deprehendimus, quæ ex Lunę diurnis incessibus eueniunt; nimirum motum eius obseruantes, iuxta morbi initium desumpto principio; Horam autem, aut horæ partem difficile nimis, aut etiam non nisi rarò admodum possibile est habere; quamobrem falsò astruunt cœleste thema ad horas, & minuta pro initio morbi assumpta; & irrationabile quoque est duodecim angulos constituere, amplius, & qui secundum æquinoctialis circulum distribuantur: Luna est enim, quæ iuxta proprium motum indices dies, ac decretorios decernit, atque ita terminus acutorum dies est decimaquarta, nimirum quando Luna ad locum oppositum peruenerit, radiationum omnium fortissimam; sed quadrata radiatio secundum habet locum, atque incidit in septimam diem: quarta verò, & vndecima primi, & secundi septenarij medietates sunt, vt & septima medietas est decimæ quartæ: itaque & secundum hanc rationem morbo-

mu-

mutari deprӕhensum est. Manifestum est ergo quoniam figuram secundum ӕquales signiferi portiones partiri oportet, quas octo facimus propter enarratam rationem, & totidem anguli constituuntur; nimirum quatuor intra decimamquartam dessignati, reliqui verò qui his opponuntur; Primus igitur angulus sit Lunӕ locus, circa quem propterea minus errare contingit, quoniam etiam vnius horӕ spatio media tantummodo pars integri gradus absumitur, quę in hoc negotio nullius ferè existit momenti; parum quoque persӕpe est si gradus integer nos lateat; agendum tamen est, vt dies prima morbi, non autem decubitus, innotescat; persӕpe enim fit vt incipiat malum aut à capitis dolore, aut à totius corporis lassitudine quadam, vel consimili aliqua tristi sensatione, quibuscum febrem coniungi patientes ignorant, aut nihili pendunt donec viribus destituti, & coacti decumbant: eo ergo, sed non hoc, constituto principio; Videndum est, an anguli suffulti fuerint à beneficis, an à maleficis occupati; Stella insuper primę, aut etiam magnitudinis secundӕ cum Luna, aut dictis planetis in angulis reperta manifestum ius habet: Stella verò Mercurij illius sit naturӕ, cui iungitur, aut cum quo dignitatem commutauerit: victoria autem penès numerum Stellarum existit, aut loci dignitatem; primus enim angulus dignissimus est

ob

ob Lunæ locum, deinde qui huic opponitur, postea qui medius est, quoniam hi ex perfectis rediationibus constituuntur; qui verò diem quartam, & undecimam indicant ex ordine prędictos dignitate consequuntur: Amplius, si planetæ prædictos angulos tenentes Lunæ locum disponant, ius illis augetur, contra verò si Lunæ ipsos ratione dignitatis aduersari contingat: Quare si benefica disponit, aut aduersatur malefica, auxilium vtraque consueuit afferre; non est ergo maleficę semper obesse, sed neque beneficæ benefacere, nimirum si stellæ Martis, aut Saturni reperiatur coniuncta. Rursus, quæ dicta sunt de quinque primis angulis intelligantur, in aliјs verò eadem quidam de beneficis dicenda, sed malefica iuuat si in propria extiterit dignitate; tantum est maleficam indicantibus locis, aut decernentibus ratione dignitatis aduersari, sanat enim talis inimicitia: Retrograda verò si existat malefica contrarium efficit, ac si recta progrederetur. Peculiariter autē ab experimentis particularia quædam discere oportet, quæ non opus est nunc recensere, quoniam ex arte partem hanc exarauimus, quæ pro salute ægrotantium, & medici laude dicta sint; post hęc autem in curatione maxime erit elaborandum.

De

De cura præseruatiua pestilentia grassante. Cap. XIII.

IMPRIMIS ergo solertia opus est, ac summa diligentia inquirere oportet, num incipiens malum pestilentia sit; deinde num aduenæ, aut ipsorum cum incolis commertia malum asportauerint, an ex terra, ac subiectis locis oriatur pestis: Quod autem ventorum vi in varias feratur regiones vanum est propter ea, quę à principio dicta sunt; necesse est enim materiam in aere attenuari, atque in elementa ressolui. Itaque si in hominum peccata iustum Dei iuditium talem exigat vltionem, & ad tantam hominum stragem eius feratur misericordia, vt ex terrę locis determinatis materia pestis proueniat, tunc viæ salutis procul dubio nimis apparent angustæ; infectus enim propter exhalationes ferè semper est aer, quem necessariò semper nos inspiramus, nunc ergo primò vt in omnibus prima causa erit consulenda, atque ieiunijs, & in orationibus prostrati veniam suppliciter exorantes soli Deo nos confidere oportet; ipse est enim qui præcipit Soli, & non oritur, & Stellas claudit quasi sub signaculo, qui valet coniungere micantes Stellas pleiades, & gyrum Arcturi poterit dissipare; verbo enim Domini cæli firmati sunt, & Spiritus oris eius omnis

virtus eorum. Itaque eius etiam auxilio tentandæ erunt, si quæ sunt, naturalia præsidia, quibus possimus tristem hanc labem declinare, atque etiam ab vtraque pestis inuasione nobis præcauere: Fuga igitur ante omnia vulgare est, sed singulare præsidium; at verò si millia hominum migrent, neque loca deserta habitabunt, neque in Vrbes tot millibus timore pestis dabuntur aditus; non igitur à patria, sed à materia pestis proposita sit fuga, quod fit si cubiculis clausi ab infecto aere inspirando diligenter caueant; qui enim in cubiculis est continuis ignibus purificatus nunquam obest; & quid aliud excepto igne tale pestilens mixtum in aere dissipabit? quando nullus humor; nulla siccitas, aut frigus nullum, neque alia quæcunque aeris inclementia, hanc non modo valet dissipare materiam, sed productionem eius impedire; venti tamen vehementes eam habent rationem veluti supra dictum est, nunc autem nullum anni tempus huic obstare materiæ intelligendum est. Præcipuum est ergo ex igne præsidium; nihil autem refert siue ex odoriferis, siue ex lignis inodoris fiat, quælibet enim flamma consumit; habent quidem ad sensum maiorem gratiam ligna odorata, inodoratis, sed non ad omnes; hoc autem nihil est ad morbi causam, Sin vero nulla detur fuga, sed in infecto aere versari necesse sit,

caute

caute quidem magis hoc illi faciunt, qui non nisi Sole valde eleuato, aut fugatis nubibus exeunt; prodest etiam si die præcedenti, vel nocte venti vehementer perflauerint: Non sunt autem omittenda, quæ vnicuique pro tutamine sunt; grati quidem odores videntur vires reficere, ac roborare, sed parum est, quando pestis æque fortes, & imbecilles similiter inuadat, neque enim obstruunt odores, quominus materia pestis ingrediatur: At verò adnitendum, vt omnis inspiratio quantum fieri potest secura fiat, idque studio ac varijs ingenijs; illud sit in exemplum, Spongia parua ore detenta imbuta prius ac partim expressa ex succo citri, vel acetosæ, vino granatorum, vel iucundius ex aqua plantaginis; recipiat autem quælibet vncia succi, vel aquę, olei de calcanto guttas duas pro sufficienti acetositate; astringit enim, atque roborat partes, neque facile permittit vapores ingredi, aut penetrare. Deindè foris cum amicis, aut negotij causa breues sint conuersationes, qui cum domi festinus se receperit totum ante ignem se se exponat: pauco vtatur cibo, sed boni succi, aut facilis distributionis, vino etiam non generoso, omne enim quod inflãmat conturbat humores, qui planè in hoc casu regi, atq; quiescere debent; non ideo tamen pro cura præseruatiua sana corpora purgare,

aut sanguinem minuere necesse est, neq; etiam confert; sanitas enim in æquatis humoribus est, quorum si crassi, aut frigidi minuantur, tenuioresuè, aut calidiores, inæqualitatem sequi necesse est; æqualiter autem omnes euacuare, res est difficilis, & nimis operosa; dieta quidem æqualiter euacuat, atque tutò, quoniam aliquo temporis spatio; hoc autem non conuenit ijs, quos ex aliquo presente, vel imminente morbo purgare oportet, qui scilicet ab excessu alicuius humoris proueniat, atque citam indicet euacuationem: Sunt verò, & medicamina quædam particularia, purgantia partim, partim vim, vt aiunt, cordialem habentia, hoc est roborantia, in manifestis quidem qualitatibus per exsiccantes, & modice astrictorias facultates, per alias etiam vires, quas experientia solum profuisse fatentur; quorum vsus, & frequens à multis commendatur, vt sunt pilulæ Ruffi, vel consimiles ijs, quæ sunt ex duabus partibus aloes, & croci, ac mirrhæ singulorum parte vna; rursus ex aloe, ammoniaco partes duæ, & mirrha pars vna puluerem faciunt ex vino albo quotidie hauriendum ad scrup. vnum, vel pillulam cum sirupo ex acido citri: commendatur etiam theriaca antiqua per vices repetita; ac ipsa terra lemnia, vel bolus armenus. Vt ergo purgantia sunt, de ijs quidem iam dictum est; ex alijs

etiam

etiam qualitatibus, quę prosint ex dictis manifestũ est: quæ vero per abditas vires experientia probat profuisse, non facile reprobauerim, tantum ne noceant aduertendum est; quare & arsenicum cristallinum supra regionem cordis applicitum laudari potest, quando quicquam lineum, aut sericum, ipsum inuoluens ne suo contactu, & attritu exulceret, satis impediat: inuoluunt autem ipsum, cuius sit figura circularis duorum etiam palmorum in panno serico, & admodum tenui, qui vt rotundus sacculus in sua circunferentia recipiat, & quæ vim vehiculi habent, & partes corroborent; sunt autem vt cortices citri, dictamnum, calamus aromaticus, crocum, gariofila, cinamomum, melissa, rosa, rubea sandala, corallia rubea, lignum aloes; quibus arsenicum in sacculo dicto circundari potest. Pelles autem vacinas (vulgo dicuntur Vachete) quas mercatores illi autumant contra pestem tutum esse præsidium, neque per abditas vires, aut manifestas quicquam agere existimamus; neque enim suaptè natura, vel arte, vt illas conficit, quicquam habent alexiterij; qua verò ratione in inspiratione infectum aerem prohibeant, aut vires corroborent, nemo hactenus affirmaret; sed & propterea eiusmodi pelles materiæ pestilentis, neque esse susceptiuas asserere vanum est; omne enim quod corpus est, ex-

cepto igne ſuſcipit hanc, vt in pręcedentibus oſtenſum eſt: neque enim ſi præſeruat arſenicum, hoc facit, quia peſtem abſumat, ſed ex homine & arſenico ſubiectum fit peſti minus idoneum. His igitur, & conſimilibus ingenijs quiſque ſe ipſum tueatur; nam peſte affectis difficilior curatio contingit.

De cura adhibenda ne ab exteris deferatur contagium. Cap. XIIII.

M*INVS autem formidabilis eſt ea peſtis origo, quæ cum mercibus, ac per hominum commertia ab exteris aduehitur; quamuis, & in his caſibus ſumma vigilantia ſit opus; ſed eiuſmodi munus pręcipuè debetur ijs, qui populis præſunt; Inde ergo ſanitatis officia, Vrbiumq; ingreſſibus vigiles cuſtodes, rerum denique omnium, quæ ex ſuſpectis locis, aut per infecta loca deferuntur diligens expurgatio; ac demum ipſorum quoque viuentium morę diuturnæ, etiam quadraginta dierum ſpatio certis in locis extra Vrbes ędificatis, quę vulgo dicuntur, Lazaretti. Quoniam verò varia mercium expurgandarum ratio perſæpe conceditur, non rarò etiam difficultates ſuboriuntur. Modus quidem expurgandi per ignem nunquam in dubium, iudice me, poterit reuo-*

cari; sed plurima non substinent flammam sine manifesta sui læsione, ac mercatorum iactura insigni: Quamobrem quadraginta dierum spatio consueuerunt illas expurgare, eas aeri nocturno, atque in die solibus exponentes, quo quęlibet affixa materia ab humido emoliatur, & à calore maxime attenuetur, atque euanescat: persępe autem sic, aliquando verò minori temporis spatio, vtputa triginta; aut etiam tantummodo dierum quatuordecim. Habet ergo dubitationem quare dies sufficiant quadraginta, aut cur hoc termino constituto, minor etiam queat admitti. Porrò quoniam suspitiò latentis contagij, vt chronicus morbus cauta ratione debet existimari, qui non prius quadragesimo iudicetur, nimirum quando Luna ad locum oppositum peruenerit; habet enim & chronicus morbus indices, ac decretorios dies, quartum, septimum, vndecimum, ac decimumquartum, sed insuper Lunæ integrum circuitum: vlterius autem procedentes morbi supra duos Lunæ circuitus in dictis diebus indicibus, aut decretorijs iudicari debent; atque ita deinceps: Decet autem & decimam septimam, atque sequentes obseruare; constat enim Lunæ integer circuitus vigesimaseptima paulo plus, quò temporis spatio necesse est pestilentem materiam, quæ in humanis corporibus sit multipliciter innotuisse, cum

Luna

Luna quælibet ſigniferi loca pertranſierit; nondum tamen corpora credimus expurgata, quoniam ſupra integrum Lunæ circuitum tempore aliquo opus eſt, quo materia poſſit expurgari; Recte autem hoc fit decimaquarta, hoc eſt diebus quadraginta, quandoque vndecima, hoc eſt trigeſimaſeptima, vel ſeptima, ideſt trigeſimaquarta: Dies verò pauciores his propter has rationes non ſufficere exiſtimamus; Quamobrem in hominibus ſpatio triginta dierum neceſſe eſt morbum innotuiſſe; in mercibus autem, aut alia quacunque in re non morbi; aut infectionis cognitio, ſed expurgatio ſecura intenditur, vnde diebus ſaltem quadraginta opus eſt; adeo vt etiam miniſtri hęc agentes, & pertractantes ante dies abſolutos non exeant, neque cum alijs conuerſentur.

Amplius quoniam ratio expurgandi per ignem ſtatim abſoluitur: Quæſitum eſt an hoc idem per aquam perfici poſſit, in aquis merces dimittendo duorum, triumuè dierum ſpatio; præſertim lineos pannos, qui facilius, quam lanei, expurgari poſſunt, quoniam illos ſua natura promptius ingreditur aqua, quod etiam adiuuat linei panni non multa craſſities; vt ergo mixta diſſoluit aqua facilius, quam aer; quærit enim cui miſceatur, aqua, non ſic autem aer; ea etiam ratione melius, quam aer, abſterget aqua: Videtur autem ſalſa adhuc abſterſiua magis, atque mixtis

tena-

tenacius affigi, quare, & securius eadem dissoluere: Quoniam verò talis abstersio efficacior euadit si praeterea attritio quaedam fuerit iniuncta; haec autem est, quę fit ab aquae currentis motu; quemadmodum, & efficacior est, quae ex manibus hominũ fit, si noua aqua continuò fuerit superinfusa; sed hoc non adeò simplex naturale praesidium est; velut etiã si ebulliant merces in aqua, quas quidem ex ignis uiolentia cito etiam expurgari credendum est: Nunc autem iuxta quaesiti rationem inquirere oportet, Quis terminus futurus sit in mercibus expurgandis si in aquis dimittantur, quae dulces, aut salsae sint, rursusque fluant, siue stagnantes existant. Quoniam igitur multò magis, quam aer, expurgat aqua, atq; magis salsa, quam dulcis, ac denique multo magis quam stagnantes, ipsae fluentes aquae; Idcirco si fluens, atque salsa extiterit, breuissimus terminus recipiendus, qui tamen indicem habeat, ac decretorium diem, primi verò sunt omnium quartus, atque septimus dies; septimus ergo breuissimus est: Sin autem fluat aqua, atque dulcis, temporis spatinm longius requirit, at minus quaternario nihil addi potest, nam per solos quaternarios iudicia fiunt; esto igitur in hoc vndecima dies terminus requisitus: In aquis verò stagnantibus propter eamdem rationem di-

mittantur merces per dies quatuordecim ſi fuerint ſalſæ, ſed per ſeptemdecim ſi dulces extiterint; quilibet autem dies completi ſemper intelligantur: Stagnantibus etiam aquis in eiuſcemodi expurgationibus diutius non eſt fidendum, niſi lacus magni fuerint. His igitur modis ſeruatis dictis conditionibus rectè peſtis inuaſionibus obſiſtimus: ſed & peſtilentiæ labem pannos inficiendo ſecurè tolli opinandum eſt, ſi tamen in aquis ebulliant, vt dictum eſt: at verò dum hoc fit neceſſe eſt ab aliorum conſuetudine arcere miniſtros, neque in Vrbe hæc fieri, niſi in locis expurgationibus conſtructis, Rectè autem ſuſpicamur contagium ab omnibus ijs, quæ ex infectis locis, aut per infecta loca deferuntur, nec non ab ijs, quæ ſimul cum rebus infectis aduehuntur, quoniam contagij in cauſa eſt contactus; ſuſcipit autem quodcunque, quemadmodum dictum eſt.

De curatione per ſanguinis miſſionem. Cap. XV.

PROPOSITAS *ergo difficultates, & conſimiles ijs, prudentiſſime SIGISMVNDE, dictis rationibus tolli videre eſt: Tu verò multa particularia optimè noſti, quibus in methodo*

non

non est locus, imo quæ sola rerum experientia docet: Post hæc igitur curationem quoque nos prosequi oportet. Febris itaque pestilens, vt multipliciter diuersa est à febri maligna, ita dissimilem quoque exigat curationem necesse est; in eo quidem, quod in vtraque febri focus accensionis in corde est, ex materia inibi existente consimiles sunt, in pulsibus etiam, atque in animali virtute prostrata: Verum in simpliciter, & solis pestilentibus nullæ adsunt obstructiones, neque subiugales vrinę, quia neque multa materia in arteria magna, à qua vitalis etiam calor suffocari contingat; quæ tamen singula reperiri in febribus malignis ostensum est, sed in pestilenti difficilis est respiratio, quoniam materia prius in pulmonibus est, à quibus per leues arterias descendit in cor, quæ simul cum calido innato mixta, & accensa in causa est, quamobrem totum exeat, atque finiat vita per celerem ressolutionem; huic demum inest contagium, non autem illi: sæpe verò huic coniungitur & febris maligna: Itaque vti generosa remedia vtrique febri conueniant, non erit difficile determinare; Generosum est autem venæ sectio, qua cor maxime refrigerari manifestum est, & propter eos, qui vnà cum sanguine, & per ipsas arterias vitales spiritus exeunt; vnde & pulsus minores fieri conspicuum est, exit

 enim

enim nimius vitalis calor fons vitæ, quare & virtutes pati necesse est, maxime autem pulsificam: Ad hæc, quoniam vena axillaris in secta vena sanguinem mittit, qui prouenit à cētro, & à cordis regione ad centrum quoque, & ad cor ipsum per venæ sectionē alios humores trahi manifestum est: Itaq; si pestilens febris, & ipsa maligna focum habent in corde, aut propè cor, virtute valida opus est, vt omnem materiam, aut vapores repellere queat, quare, & spiritu opus habet: An ergo venę sectio, in his casibus obest, quia calor in corde minuatur; recte autem minuitur quando simplex calor in corde redundat, sed accensa materia alibi existat; nunc autem calor multus multum agit, attenuat enim, dissoluit, atque repellit; sed etiam humorum confluxum ad ipsum cor constat manifestam pernitiem afferre, ex hoc enim Natura planè suffocatur: Patet ergo neque in febribus simpliciter pestilentibus, neque in malignis, neque in mixtis ex his in facto esse, neque in fieri absque certa ægrotantium pernitie posse venam secari: Porrò pulsus, & pars affecta cum affectione, qua laborat, videntur de sanguinis missione plures auferre difficultates; de parte affecta dictum est; pulsus verò cum eiusmodi sint, cuiusmodi supra dicti sunt, nullus vnquam ex ra-
tione

tione audebit vllo modo venam secare : quosdam verò ex inobseruantia pulsuum non raro peccare contingit. Sanguis tamen retrahendus est, qui ebullit in arteria magna, & propè cor, siue sit sincerus nec multus vt in pestilenti, siue multus & impurus vt in malignis; quocunque enim modo calor in corde redundet, conturbat humores (si copia extiterit) & accensi in causa sunt semper alicuius malignitatis; itaq; in malignis maximè retrahendum est propter præsentiam humorum, in pestilentibus verò ne simul cum ijs & maligna consurgat. Porro retrahunt, euacuant, & aperiunt incisę cucurbitulæ infra renes & clunes applicitæ: retrahunt vt manifestum est, neque enim supra partem aut è regione partis affectæ applicari debent, nimirum propè humeros, aut scapulas ipsas, tunc enim non à corde, sed ad cor trahunt; Tutò autem euacuant; & à venis, & ab arterijs, quarum omnium oscula, & summæ cuti finitima sunt, neque spiritus exeunt, sed verè Natura exoneratur à sarcina qua premebatur, & in febribus præsertim malignis; in pestilentibus verò quominus massa sanguinis ad focum accurrat; Quinimo & cutem aperiunt, qua obstructa manifestum est, quam facile febres fiant, atque malignæ; verum si laxa, & aperta extiterit facile est ipsi Naturæ morbificam mate-

riam eò transmittere, atque ideo cucurbitulæ naturæ ipsi auxiliari videntur. Licet verò sanguis in febribus pestilentibus nullam habeat preexistentem qualitatem, ex qua eiuscemodi febres fiant, (si per contagium fieri debeant) attamen infici potest, accendi, atque comburi, vnde peiora quoque emergunt simptomata, Idcirco semper ipsum à corde retrahere, atque moderate euacuare rationi consonum est: Quare & Natura reclusæ hemoroides non mediocriter iuuare solent; euacuant enim sanguinem craßum, qui ab epate ad lienem fluit; fluit autem ab epate, quare qui in epar succedit à corde etiam fluere potest; quamobrem consilio, & arte apertas hæmoroides non nisi admodum profuturas conspicuum est; In omnibus autem eiuscemodi venæ hemorroidales reperiuntur; quare ridiculum est quærere an sint innatæ hæmoroides, neque velle hirudines applicare, nisi natura fuerint apertæ, tunc enim vt aiunt sanguis crassus euacuatur: Atqui libenter illi incisas cucurbitulas dorso apponunt & patientes iuuant, cum tamen minime crassus sanguis euacuetur, vel si crassus existit, & multò crassior erit, qui per hirudines ab hæmoroidibus extrahitur; sed quicunq; existat etiam si tenuissimus, nos ipsum euacuamus, vt ab arterijs, aut à venis circa cor euacuemus; Talis autem euacuatio immediata

fieri

fieri non poteſt, ſed vaſis alijs euacuatis ipſum quoq; confluere, & à corde recedere neceſſe eſt; Nihil igitur refert ſiue craſſus, ſiue tenuis exiſtat, qui ab hæmoroidibus immediate fluit: Fæminis autem non fluentibus menſibus, neque inſtantibus hirudines ijſdem locis applicitæ auxiliari ſolent, ſed & inciſæ curcurbitulæ intra fęmora affixæ maxime illas iuuare poſſunt: In omnibus verò quotieſcunque opus fuerit.

De purgantibus medicamentis, & alterantibus. Cap. XVI.

DE *Purgantibus etiam medicamentis, ſiue generoſa ſint, ſiue lenientia, minorantiauè, vt aiunt, diſtinctè dicendum eſt; ſunt autem hæc, nimirum ſcamoneata quæcunque, eleborum, coloſynthis, ac ſtibium; at verò Sena, agaricum, & rhabarbarum minorantia ſunt; lenientia verò, tamarindi, flos caſſiæ, quem & caſſiæ medullam appellant, mana, mel, ac ſirupus roſatus ſolutiuus, atque his omnibus conſimilia; Itaque ſi pura corpora ab excrementis, & ſola peſte affecta curanda occurrant, genus omne medicamentorum ſuſpectum videri poſſet, & inoportunum; ſiquidem exigua materia peſtis & vaporoſa nullam ferè*

rè per aluum recipit expulsionem, aiunt etiam per pharmaca euacuantia minus commoueri naturam, ac debilem reddi; quinimo & his adeo innituntur, vt ad omne genus febrium præceptum hoc transferant; De his tamen alibi: Nunc autem sanguinis illa euacuatio aut alia quæcunque absque crassorum excrementorum euacuatione in causâ est, quamobrem partes, & venæ innanitæ ad se attrahant, quod crudum est, & crassum, ac proinde ex obstructionibus febres aliæ, aut maiores fiant; & ex simplici pestilenti etiam maligna consurgat; hac igitur etiam à principio existente eo magis necessarium esse purgans medicamentum manifestum fit; quid enim agere possunt communes clisteres in anfractibus illis, & longo tractu intestinorum? Neque vero ægrotantium natura debilis fit, aut patitur; nam si qualia oportet purgentur, confert, & facile ferunt. Habet verò difficultatem vsus purgantium indistincte prolatus; videtur enim in omnibus semper à mitioribus inchoandum, vt Natura assuescat, neque à repentinis mutationibus patiatur; imo virtute debili existente, vt in his febribus dictum est, satius erit per iteratas vices, quam semel, ac multum euacuasse, quod satis secure fit per dicta lenientia; Infusio etiam rhabarbari, aut senæ ex sero caprillo, modò quantitas eiusdem seri ad libram

bram vnam, & semis superbibatur, commodum ac facile deiectorium est. Hæc ergo in multa materia, & cacochimia locum habent opportunum. Verum sola materia pestilens ingressa pulmones, modo fieri possit, foret euacuanda, priusquam vlterius permearet, neque modus aut via ipso vomitu facilior est, hoc enim ventriculi impulsu etiam materia pulmonum ad superas partes, atque etiam ad os propellitur; sed insuper deijcere oportet, quominus diaphragmate inferiores materiæ in cor repant per venas, & magnam arteriam; præstat vtrunque Stibium optimè præparatum, Chimici flores ipsius appellant, puluis est albus in tenuissimum pollinem redactus; de quo nunc plura non dicam; sed summa prudentia, & dexteritate in illius vsu opus est; Cæterum alia purgantia generosa non æque facile admiserim, carent enim ea duplici facultate, nec nisi per accidens vomitus fit. Interim sequuntur ea, quæ præparantia dicunt, alij concoquentia, & serapia, siue sirupos appellant; vt plurimum autem instituuntur, quò facilius peccantes materiæ possint euacuari: primo ergo in sola pestilenti ea peccat materia, quæ mixta calido innato nullam recipit præparationem, imo in causa est, quamobrem calidum totum exeat, nec etiam vllos alios possit humores concoquere, nimis enim in ea parte, quæ est vitæ prin-

 cipium

cipium natura laborat; propter hęc igitur neque si maligna fuerit coniuncta, ea concoquentia, aut præparantia conuenient; atque etiam multo minus quoniam & à vehementi calore, & à multa inibi conclusa materia vehementius Natura patitur; Hæc enim copia humorum, & si quę est in corde materia in sola pestilenti, quæ possit euacuari, continuam, ac per diuersas partes suimet indicat euacuationē; viæ autem per arterias multæ patent, præsertim quæ ducunt ad vrinam; itaque diuretica, & aperientia maxime erunt ad vsum, in simplici quidem pestilenti, eiusmodi, quæ frigida sint, maxime conuenient, calor enim sine multa humiditate accerrimus est; sed in maligna temperata etiam, & paulò calidiora proficua sunt, suffocatur enim calidum innatum ex multa materia, quam maxime expedit euacuare; quinimo & calidiuscula calidum excitant innatum, & redditur valentius in expellendo; neque enim in multa & humida materia calida obsunt; sint ergo radices graminis, adiantum, tricomanes, cardus benedictus, scordium, dictamnum creticum: frigida verò & aperientia sunt acidum citri, limonum, raphani succus, & alia multa; non ergo à proprietate acidum citri iuuat in febribus malignis, sed quoniam diureticum est, quemadmodum limonia mala, vt verò frigidum est securius febribus omnibus

con-

conuenit; sed vera maligna & calidis aperientibus eget, quę tamen frigidis misceri possunt: quamobrem nec eorum vsus improbandus, qui parum olei de calcanto cum multa aqua endiuiæ, vel acetosę in exquisitè malignis exhibent: illud enim diureticum est, & calidum, hæc vero frigida est; quantitas autem laudatur ad guttas duas in aquæ destillatę vnciјs quatuor, vicibus iteratis; insuper in his casibus mirificè iuuat de scorpionibus oleum Mateoli extrinsecus supra regionem cordis illitum; atquî hoc mirè calidum est; quę tamen calida non laudo in simpliciter pestilentibus propter eam, quam adduximus rationem: non ęque autem frigida omnia iuuant sicut acidum citri, nisi, & diuretica sint, atque ea polleant facultate, quę corroboret, non autem adstringat; hoc verò pręstat acidum, non autem austera, quę constrictiua sunt; neque enim in concepta peste adstringere opus est, sed aperire; itaque, & oleum illud calcanti suspectum foret, nisi exigua admodum quantitas in multa aqua nullam pręberet adstrictionem, sed quasi corroborantem facultatem pręseferret; sua enim propria facultate venas adstringit, & per vrinam serum exprimit; Sunt & alia, quę per exsiccantem facultatem corroborantia censeri debent; sunt autem margaritæ præparatæ, corallia rubea, vstum cornu cerui; quę

tamen diuretica & aperitiua carent facultate; non ergo sola satis iuuare possunt; cor tamen corroborant: Vt plurimum verò adstringentia corroborantia dicuntur, sed habita ratione affectus, & partis affectę nihil obstat; nunc autem in venis, & arterijs, & in corde ipso humores adstringere lethale est: licet autem siccantia exhibere, quæ non adstringant, quoniam, vt terminatur & figuratur humidum sicco, ita siccitate seruatur, neque dissoluitur aut fluit, fluere autem oportet humores non autem solidas partes, aut humidum naturale: quamobrem neque theriaca, siue noua, siue antiqua quicquam conferre potest, quæ procul dubio omnes sistit humores, atque hac ratione ab humorum influxu cor ipsum præseruat, non autem curat, quoniam iam fluxos non eijcit, neque repellit; quod manifestum fit exhibita theriaca in superpurgationibus ab epoto medicamēto, & in spontaneis fluxionibus alui: extrinsecus autem illita, et calidis etiā iniuncta virtutes corroborat, quemadmodū dictū est: Est autē nunc in usu frequēti in febribus malignis Bezar lapis, qui dicitur et Pazar à Pazan, id est hirco ab Arabibus, & Persis; Indi Bazar appellant, quasi dicas lapidem forensem; Hic verò quo nunc temporis vtimur raròpaleam intus habet, neque manibus comprimi, aut Spiritù inflari potest; alius forsan veluti multis è tunicis contextus, alius

verò

verò non, ſicuti vidimus; ad grana ſeptem eſt in vſu, qui verè propter terreſtrem naturam ſiccantem habet facultatem, vt margaritæ, & corallia rubea; forſitan verò plus agit, eo quod in hirci pręcalido ventriculo, vt aiunt, generetur; quamobrem & aliqua aperiendi facultate fortè præditus eſt; non tamen ab aſſumpto puluere lapidis Bezar manifeſtum ſudorem ex eo obſeruauimus, neque excretionem vrinæ, aut quamlibet aliam, & tamen in eo inſigne pretium fidem habet: Interim de purgantibus, ac materiam repellentibus hæc dicta ſufficiant.

De peticulis, maculis, ac tumoribus curandis in febribus peſtilentibus. Cap. XVII.

PRÆTER *ea, quæ dicta ſunt, haud parum conferre poteſt congrua, vt in omnibus febribus victus ratio, quæ mediocris ſit: Neque excedat propter acutiem morbi, neque deficiat propter vires; parum ergo & ſæpe exhibere opportunum eſt, interpoſito tamen ſex ſaltem, aut ſeptem horarum ſpatio: dormiat æger ab aſſumpto cibo, imo nunquam, aut raro excitetur à ſomno, ſed illi ſomnus imperandus: in ſimplici quidem peſtilenti vi-*

num, qualecunque sit, minimè conferre potest; non sic autem in febribus malignis, in quibus exigua quantitas habita etiam ratione ętatis, & consuetudinis mirificè iuuare solet, eo quod aperiat, & calefaciat. Interim verò dum hæc fiunt varij in externis corporis partibus excitantur abscessus, aut maculæ efflorescunt, quemadmodum supra dictum est; itaque quacunque in parte eiuscemodi tumores excitentur, nunquam repellere oportet: quinimo & maculæ quęcumque, Natura iuuanda est, vt exeant, & intrinsecus, & extrinsecus remedijs adhibitis, quamobrem leues cucurbitulæ, siccas apellant, & repetitæ maxime erunt ad vsum; frictiones etiam potissimum ex axungia gallinę, nitro, & oleo amigdalarum dulcium ad partes ęquales. De intrinsecis quidem dictum est, quæ verò extrinseca dictis tumoribus conueniant reliquum est determinare: hos autem iuxta eorum materiam distinguere oportet; ea quidem omnis à corde eijcitur, sed alia serosa est, & calida minus, cui, si iungatur sanguis calidior euadit, feruet autem vt atra bilis, si talis sanguis fuerit combustus; in omnibus tamen foras euocandum est, aliàs quidem mitioribus, aliàs verò vehementioribus remedijs, & fortissimis vtendum erit; itaque si nondum materia fuerit combusta, sed bubones excitauerit, pro his mite erit emplastrum ex liliorum radice,

caricis, vnguento dialteę, basilico, & butiro addita antiquæ theriacæ portione, cepe coctum vtiliter etiā admiscetur his: Fortius hoc erit, & recipit resinæ pini libram vnam, olei communis vnciam vnam, quæ duo lento igne misceantur, nec tamen si misceatur Theriaca prohiberi debet, vel scordium, dictamnum, scabiosa, aristolochia, cum portione croci, sic nanque validius euadit; quinimo, & cera flaua, propolim dicunt, vi sua attractrice auxiliari potest; velut etiā diachilon simplex, & cum gummatibus, & adipe gallinæ iuuat hos tumores, aut parotides, quę post aures suboriuntur; habita semper ratione ętatis, sexus, temperamenti, & partis affectę: in omnibus autem & semper calorificis euocandum est; temperatè calida, & humida in nobilioribus partibus attrahendo iuuant, quę quidem alij suppurantia dicunt, eo quod calorem calido naturali ęqualem habeant, atque sic ab illis hoc augeri contingat, vndè facilius, ac melius concoquat, & pus fiat: sed si foris applicita calefaciunt, necesse est illorum ope calorem intra, vel extra cutem augeri; idque primò vel ab intus medicamenti recepta materia, vel extra inter cutem & ipsum medicamentum; aut ergo ab ingrediente materia; vel ab extra adaucto calore rara, ac admodum perspirabilis cutis euadet; atque ita humorum potius dissolutionem, quam eorundem conco-

ctionem

ctionem ſuppurationemuè expectare oportet; bene ſuppuratio ſuccedit ſi calor concluſus nullam ferè inueniat perſpirationem; quod in frigidis medicamentis & incraſſantibus, aut parum aſtringentibus particulæ applicitis inibique congeſtis humoribus manifeſtum fit; feſtinat enim tunc ſuppuratio; frigida quidem & cuiusmodi dicta ſunt in principio phlegmonis reppellunt, ſed vbi fuerit congeſta materia ſuppurant, calida verò diſcutientia fiunt; in principio quidem calida aperiendo magis attrahunt; quod ſi in tumoribus à calidis ſuppuratio contingat, ea quidem comparatiuè nullius calidi ferè rationem habent, ſed ex craſſa materia, vel tumoris, vel medicamenti concluditur calor, atque ſuppurat: In bubonibus igitur peſtilentibus calidis vtendum eſt, non vt verè ſuppurent, (neque enim materia peſtilens ſuppuratur) ſed quod attrahant, quemadmodum dictum eſt; inſuper neque reppellentia adſtringentiauè vnquam vel vllo modo adminiſtranda erunt. Porrò inter peſtilentes tumores carbunculus eſt, qui quanto ex calidiori & exuſta magis materia conflatur, eo etiam vehementioribus eget remedijs: Quoniam ergo calidis attrahendum eſt, calidiſſimis nunc opus erit, alioquin frigidi rationem habeant ad humorem aduſtum neceſſe erit; propter quam rationem, & actu calida neceſſaria ſunt, quæ magis vrant aduſtis

ſtis humoribus ipſis, cuiuſmodi ferrum eſt candens; eſt enim ignis ſanis partibus amicus, eo quod congenerem calorem habeant, robur ergo addit partibus, & quicunque humores caloris vi attrahuntur, ſed inutiles etiam facilius expelluntur, ac expurgantur. Carbunculus itaque totus inurendus, ad quam ſanè operationem perbelle adaptant ferreum inſtrumentũ, quod inurendo figuram inuſtionis circularem relinquit iuxta carbunculi figuram; cuius baſis circumcirca inurenda erat: inurendus tamen & carbunculus in ſummo; decidet autem eſcara ipſo butiro; deindè digerendum, mundificandum, atque cicatrizandum; preparant autem tale mundificans, atque ſarcoticum, quod Recipit ſquammæ ęris, Litargirij, Tutiæ, ſingulorum vnciam ſemis, maſtiches vncias duas, olei roſati vncias tres, ceræ vnciam vnam, miſcendum ad ignem donèc vnguenti conſiſtentiam recipiat; ſed ante, atque etiam poſt carbunculi inuſtionem commodè adhiberi poteſt eiuſmodi emplaſtrum, quod ſit ex liliorum radice recenti, & humida, trita, & ad emplaſtri formam redacta. ſuperponunt autem braſſicæ folium ne exareſcat, cuius vſus à principio ad finem vſque mirificè iuuat, & ſanat, ita vt aſſerant vix cicatricis veſtigium mox apparere; atque eiuſmodi cura per inuſtionem adeò in carbunculis peſtilentibus confert, vt non niſi

ſum-

summa cum vtilitate, & ratione ad alios etiam pestilentes tumores transferri possit, ac debeat; præcipuè si in partibus non adeo nobilibus appareant; quos quidem tumores, & latas summitates inustas iisdem postmodum remedijs curare oportet, imo in omni tumore pestilenti quoquo modo aperto, aut suppurato digerentibus vtendum, abstergentibus, atque cicatrizantibus, sicut in carbunculis dictum est. Tot igitur de causis, Natura, & cura pestis ad soluendas difficultates dicenda existimauimus; quæ tamen nulla sunt, nisi Deus Optimus, ac Ter Maximus nos illuminet, curet, atque custodiat. Vale optime SIGISMVNDE, & vt facis me ama.

F I N I S.

Ego Fr. Michael Zanardus Vrgnanensis, in Conuentu S. Anastasiæ Veronæ Sacræ Theologiæ Lector primarius, examinator librorum imprimendorum, & in hac parte Vicarius S. Offitij vidi, & diligenter examinaui hoc opus Excell. D.D. Octauij Brenzoni, Philos., & Medici, cuius titulus est, Sermo de causis, atq; natura Pestis, & cura, nihilq; in eo reperi fidei cõtrarium, vel bonis moribus, & ideo dignum impressione iudicaui.

Aluise Foscarini Podestà.





